



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Conclusio affirmativa statuitur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

in quantitate, quæ ad divisionem illius sunt divisibilia: Atqui accidentia Eucharistica, ut color, sapor, & odor panis & vini consecrati, sunt divisibilia ad divisionem quantitatis: Ergo in ea subsistantur. Minor experientia patet. Major verò ex eo suadetur quòd qualitas secundum se non minus caret partibus, quàm substantia, easque subinde emendicat à quantitate: Ergo ubicumque invenietur qualitas divisibilis, sive quodlibet aliud accidens, erunt divisibilia beneficio quantitatis: Sed non possunt divisibilitatem hanc & partes à quantitate recipere, nisi ei uniantur & insint: Ergo illa accidentia subsistantur in quantitate, quæ ad divisionem illius sunt divisibilia.

2. Probatur secundò conclusio ex eo quod juxta hanc sententiam, quæ asserit accidentia Eucharistica in quantitate subsistari, salvatur primò connaturalis modus existendi reliquorum accidentium, cum omnia accidentia corporea connaturaliter inhæreant quantitati, ut proximo & immediato subjecto. Secundò salvatur connaturalis modus agendi agentium naturalium, dum in accidentia consecrata agunt, educendo ex ipsa quantitate, ut ex proximo & sufficienti subjecto accidentia quæ in ea producuntur; cum in contraria sententia fatendum sit à solo Deo illa produci per creationem independentem à subjecto: Quis autem dicat, cum ignis hostiam aut vinum consecratum calefacit, non ignem, sed solum Deum hujusmodi calorem producere? Tertiò salvatur connaturalis modus quo unum accidens expellit suum contrarium in hoc Sacramento, quia dum in eandem quantitatem inducitur unum contrarium per naturalem impossibilitatem expellitur aliud. Quam formalem expulsiōem per physicam impossibilitatem salvare non potest contraria sententia, quæ nullum admittit commune subjectum, sub quo tantum naturalis impossibilitas exerceri potest unde recurrere debet ad intrinsecam voluntatem Dei destruentis aut remittentis unum contrarium, quando aliud intenditur, absque physica exigentia ipsorum: cum ergo non sint multiplicanda miracula sine necessitate, dicendum est quantitatem in hoc Sacramento esse subjectum reliquorum accidentium.

3. Quod adhuc argumento à posteriori & ab experientia desumpto, confirmari potest. Nam experientia constat, alia accidentia, puta colorem, saporem, odorem panis & vini, uniri inter se: Sed non immediate, per modum actus & potentie, cum inter ista accidentia non sit major ratio cur unum potius habeat rationem actus, quàm potentie. Ergo uniantur in aliquo tertio, quod non potest esse aliud, quàm quantitas, quæ quia inter accidentia corporea primum tenet locum, & est prima dispositio materie, maxime accedit ad genus causæ materialis, unde comparatur ad alia accidentia corporea tanquam subjectum: ex quo fit, quòd semel posito, quantitatem non esse in aliquo subjecto, sed per se subsistere, debeat dici subjectum quod hujusmodi accidentium, quia tunc non recipiuntur in ulteriori subjecto.

Potestque id confirmari ex eo quod subsistere aliis, sequitur ad subsistere per se, unde Philosophus tribuit substantiæ ut aliis possit subsistere, quia subsistit in se: Ergo hoc ipso quod quantitas subsistit per se, potest etiam aliis accidentibus Eucharisticis subsistere.

A Ex quo probatur secunda pars conclusionis, quòd scilicet non sint necessaria plura alia miracula, ut alia accidentia Eucharistica inquantitate, quia subsistere aliis, sequitur connaturaliter ad hoc quod est subsistere in se: Ergo ex vi miraculi quo datur quantitati quòd subsistat in se, sequitur quòd subsistat aliis accidentibus Eucharisticis, sicut effectus secundarius sequitur connaturaliter ad primarium, maxime cum ipsa quantitas etiam ante consecrationem esset subjectum quo hujusmodi accidentium.

Ex his inferes, nullam fieri mutationem inter aliquis accidentibus, sed in sola quantitate; nam sola manet separata à proprio subjecto, reliqua manent ut antea, totaliter ac sufficienter subsistata à quantitate.

B Quæres, an divinitus & per aliud miraculum possint hæc accidentia subsistere per se à quantitate separata?

Respondeo affirmativè. Ratio est, quia quantitas magis dependet à substantia, quàm cetera accidentia à quantitate: Sed non obstant illi dependentiæ, quantitas existit sine subjecto: Ergo & alia accidentia poterunt divinitus à quantitate separari. Nec oppositum docet D. Thomas quidquid dicat Suarez quando enim quodlibet art. 10 asserit qualitatem separatam à subjecto, neque fore individuum, neque ab aliis distinctam, hoc debet intelligi de qualitate à subjecto separata, tam secundum actum, quàm secundum aptitudinem.

ARTICULUS III.

Verum quantitati communicetur à Deo modus existendi per se, ratione cuius subsistat independentem à subjecto, & aliis accidentibus subsistat?

D Negant plures ex nostris Thomistis, existimantes nihil de novo addi quantitati, ratione cuius per se existat, sed tolli tantum imperfectionem illam quæ est ad invellere, & per solum Dei mantenentiam conservari. Ita Paludanus, Soto, Nunno, Aravius, Joannes à S. Thomas, Philippus à S. Trinitate, Bellarminus, Valencia, Grano, & alii, quos citat & sequitur Montanez à Prado hic dubio 1. §. 3. Affirmant verò Cajetanus hic art. 1. & Serra ibidem, Petrus de Gentes cap. 66. Nazzarius supra quæst. 4. art. 1. Alvarez ibidem, & ex extraneis Suarez, Vazquez, Delugo, Coninck, & alii.

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico igitur, quantitati communicari à Deo modum existendi per se, ratione cuius subsistat independentem à subjecto.

Probatur primo conclusio ex D. Thomæ hic art. 2. ad 1. ubi ait, Quando accidenti datur divinitus ut per se sit, potest etiam per se alterius accidentis subjectum esse. Idem docet art. 4. ad 2. & 3. Et 4. contra Gent. cap. 66. hæc scribit: Miraculose accidens confertur quòd subsistat, quòd est proprium substantie, & per consequens quòd omnia possint facere & pati, quæ substantia posset facere & pati, si substantia esset. Demum in 4. dist. 12. q. 1. art. 1. quæstionem 1. in corpore docet quòd virtute divina confertur divinitus

que fuerunt panis, ut sine subiecto subsistant in hoc sacramento, quod est prima proprietas substantie. Unde sic arguo: Quidquid existit per se, debet habere modum existendi per se: Sed quantitas in hoc sacramento existit per se: Ergo modus existendi per se ei communicatur à Deo. Minor patet ex locis jam adductis, Major probatur. Non potest effectus formalis competere alicui sine causa formali: Sed existere per se est effectus formalis alicujus formæ, scilicet subsistentiæ, aut modi existendi per se: Ergo cum aliunde quantitas non sit capax subsistentiæ, dicendum est hunc effectum provenire à modo existendi per se, ipsi à Deo communicato.

18. Respondent Adversarii, quantitatem hoc ipso existere per se, quod non inhaeret subiecto, absque aliquo modo superaddito.

Sed contra: Illud cui connaturaliter convenit esse in alio, non potest existere per se, nisi immutetur, & aliquid de novo acquirat. Sed quantitas & cuilibet accidenti connaturaliter convenit existere in alio: Ergo non potest existere per se, nisi immutetur, & aliquid de novo acquirat. Minor patet, Major probatur. Tum quia existere per se est aliquis effectus realis ab aliquo principio formali pendens: Ergo quod modo existit per se, cum antea esset in subiecto, alio modo se habet quam antea. Tum etiam, quia nisi immutetur, & aliquid de novo acquirat, eodem modo semper se habebit, ac proinde non existet per se.

19. Dices, sufficere quod quantitas mutetur mutatione privativa, per hoc quod non habet modum actualis inhaerentiae quem antea habebat.

Sed contra primo, Sicut existere est effectus realis alicujus formæ positivæ, ita & existere per se: Ergo ut quantitas existat per se, debet mutari per receptionem alicujus formæ & entitatis positivæ.

Secundo, Semper videmus quod statim atque res aliqua privatur suo termino connaturali, mox alium consequitur: verbi gratia quia humanitas Christi privatur propria subsistentiâ, divina supplet vices illius; & linea, cum privatur puncto continuativo, consequitur terminativum: Ergo similiter accidens dum privatur modo inhaerentiae, statim obtinet ex vi ejusdem actionis modum aliquem existendi per se.

Tertio, Per hoc quod destruitur actualis inhaerentia, accidens si sibi relinquitur, omnino perit: Ergo per solam hanc mutationem privativam, non potest conservari sine subiecto, nisi aliquid aliud superaddatur.

20. Respondetis, illud positivum quod superadditur, non esse aliud quam concursus specialis quo Deus conservat accidens sine subiecto.

Sed contra: Hic concursus seu actio quâ Deus conservabat quantitatem independentem à subiecto, debet necessario distingui ab actione quâ illam conservabat ante consecrationem: Tum quia aliâ non esset aliquid speciale superadditum, cum etiam quia hujusmodi actiones se habent sicut creatio &eductio, quia una conservat quantitatem dependentem à subiecto, & alia independentem ab illo. Tum denique quia una est naturalis & alia supernaturalis. Unde sic arguo: Ubi est specialis & aliquo modo diversa actio positiva transiens, debet esse specialis & aliquo modo diversus terminus productus, maxime quando actio est virtualiter tantum transiens, quæ nihil dicit per modum viæ & fluxus, sed

Tom. V.

A tantum actionem immanentem, cum termino à parte rei posito: Atqui nullum alium terminum potest habere specialis illa Dei manutentia & conservatio quantitatis, quam modum illum existendi per se: Ergo talis modus necessarius ad mittendus est. Minor probatur, quia accidentia secundum se existebant ante hanc actionem & consecrationem: sola autem separatio à subiecto, sine modo superaddito, est tantum negatio inhaerentiae actualis, quæ proinde nequit esse terminus actionis realis & positivæ: Ergo nullum alium terminum potest habere specialis illa Dei manutentia & conservatio quantitatis, quam modum illum existendi per se.

B Objicies contrariam conclusionem: Non minus repugnat accidenti modus per se subsistendi, quam substantiæ modus inhaerentis: Sed repugnat substantiæ communicari modum inhaerentis: Ergo & accidenti modum per se subsistendi.

Confirmatur: Vel modus ille esset substantialis, vel accidentalis? Neutrum dici potest: Ergo talis modus impossibilis est. Minor quantum ad primam partem, manifesta videtur: Tum quia nihil substantiale remanet peractâ consecratione, sed accidentia sola, ut docet Tridentinum sess. 13. cap. 4. Tum etiam quia modus non potest esse perfectior suo modificato: si autem modus iste esset substantialis, perfectior esset suo modificato, scilicet quantitate. Tum denique, quia si modus ille sit substantialis, non poterit non esse subsistentia, quæ tamen nulli accidenti communicari potest. Probatur verò quoad secundam. Nullum potest dari accidens cui ex natura sua repugnet inhaerere subiecto: Sed hunc modo ex natura sua repugnaret inhaerere subiecto, cum esset modus existendi per se: Ergo talis modus non posset esse accidentalis.

Ad objectionem respondeo negando Majorem, magis enim repugnat substantiæ modus inhaerentis, quam accidenti modus per se subsistendi: Tum quia subsistentia magis est intrinseca substantiæ, quam inhaerentia accidenti; illa enim convenit substantiæ absolute & sine habitudine ad aliud, subindeque valde intimè, & omnino intrinsecè; hæc verò competit accidenti per habitudinem ad aliquid extrinsecum: magis autem repugnat ut aliquid maxime intrinsecum rei auferatur, quam aliud quod non est ita intrinsecum. Tum etiam quia inhaerentia actualis non est de essentia accidentis; subsistentia verò actualis quæ opponitur inhaerentiae, est essentialis substantiæ, de cujus ratione est ut sit ens per se subsistens independentem à subiecto, quamvis subsistentia quæ est terminus intrinsecus substantiæ completa, quæ est constitutiva suppositi, & ratione cujus substantia completa per se independentem ab alio supposito subsistit, non sit illi essentialis, sed ab ea realiter distincta; ut docetur in metaphysica; unde ab ea separari potest, & de facto in mysterio Incarnationis fuit separata ab humanitate Christi, ad subsistentiam seu personalitatem Verbi Divini elevata.

Ad confirmationem respondeo, utrumque probabiliter sustineri posse, nimirum modum illum per se subsistendi quantitati panis & vini divinis communicatum, esse substantialem, vel accidentalem, & rationes in contrarium adductas, facile dilui posse. Unde si quis sustinere velit modum illum esse substantialem, ad primam probationem in contrarium facile respon-

Li dere

dere poterit, ideo Tridentinum asserere quod nihil substantiale remaneat post consecrationem, quia nihil manet de pane & vino, neque substantia, neque substantia, vel existentia, illorum, neque alia substantia succedit, prater corpus & sanguinem Christi: cum quo non pugnat, si dicatur quantitati modum aliquem substantialem quo per se subsistat, & aliis subsistet accidentibus, divinitus & supernaturaliter advenire.

Ad secundam verò probationem dicatur quod quamvis modus connaturalis rei quam modificat, non possit esse illa perfectior, bene tamen modus superioris ordinis & supernaturalis, ac non connaturalis, cuiusmodi est iste de quo agimus.

Ad tertiam nego Antecedens, magnum enim reperitur discrimen inter substantiam, & hunc modum substantialem, nam substantia reddit naturam proximè capacem existentiae, quam proinde antecedit; hic verò modus non reddit quantitatem capacem existentiae, sed eam supponit existentem, & est ejus terminus veluti extrinsecus.

25. Si enim verò non placuerit hic modus dicendi, Adde alium qui asserit modum hunc per se existendi quantitati divinitus communicatum, esse accidentalem ut quod & entitativè, & substantialem solum virtualiter & ut quo; sicut semen, licet inanimatum & expert vitæ, dicitur tamen vivum ut quo & virtualiter, quia est instrumentum naturale quo mediante generans genito vitam communicat; vel sicut in sententia Cabrera, & quorundam Thomistarum, virtus elevans sacramenta ad producendam gratiam, est corporea ut quod, & entitativè; & spiritalis solum ut quo, & virtualiter, quia est virtus Dei elevans sacramenta ad producendum effectum spiritualelem & supernaturalem, nempe gratiam vel characterem. Juxta, inquam, hunc dicendi modum, quem Suarez & aliqui ex nostris Thomistis amplectuntur; ad probationem in contrarium dicitur primò, quod quamvis nulli entitati accidentali possit repugnare inhaerentia, bene tamen alicui modo accidentali, præsertim si ille supernaturalis sit. Vel secundò & fortè melius dici poterit, non repugnare quod talis modus inhaereat quantitati, & nihilominus faciat illam existere per se, quia, ut supra dicebamus, licet sit accidentalis ut quod & entitativè, est tamen substantialis ut quo & virtualiter. Sicut ergo dialectici docent, quod secunda intentio universalitatis, naturæ a meo intellectu applicata, est in se aliquid singulare, & tamen ejus effectus formalis est reddere naturam universalem; quia licet sit singularis ut quod, est tamen universalis ut quo: ita similiter nullum videtur inconveniens asserere modum per se existendi divinitus quantitati communicatum, inhaerere quantitati, & tamen illam reddere per se subsistentem; quia licet sit accidentalis ut quod, nihilominus est substantialis ut quo.

ARTICULUS IV.

An speciebus sacramentalibus aliquid verè & propriè generari possit?

26. **R**ationem dubitandi proponit D. Thomas hic art. 5. in primo argumento quod sibi, objicit, ubi sic dicitur: *Videtur quod ex speciebus sacramentalibus nihil possit generari. Quod enim gene-*

ratur ex aliqua materia generatur, ex nihilo non nihil generatur, quamvis ex nihilo fiat aliquid per mutationem: Sed speciebus sacramentalibus non potest dici materia, nisi corporis Christi; quod est incorruptibile. Ergo videtur quod ex speciebus sacramentalibus nihil possit generari.

Propter hoc argumentum quidam Theologi partem negativam amplectuntur, & ex speciebus sacramentalibus non posse aliquid verè & propriè generari contendunt. Sed cum ad hoc sum pateat, & experientia constet, in speciebus Eucharisticis interdum vermes ex humiditate generari; ut ab hac difficultate expediant, huius rationi experimentaliter respondent, in prioris dicendi modos dividunt. In primis quidam antiqui quos refert & impugnatur Thomas hic art. 5. dixerunt, quod dum vermes in hoc sacramento generantur, talis generatio non fit ex speciebus sacramentalibus, sed ex circumstantia, ita ut forma substantialis vermium educatur de materia aeris circumstantis. Alii quos etiam ibidem S. Doctor recenset, alio banchano generationem fieri ex substantia panis & vini redeunt. Tercio Scotus & Vazquez dicunt, vermes aut cineres qui interdum videntur generari ex speciebus consecratis, non produci virtute agentis naturalis, sed à solo Deo per conceptionem. Alii demum asserunt, quod dum vermes in Eucharistia generantur, quantitas panis convertitur à Deo in totum compositum, indeque illud solum improprie dici ab agentis naturalibus genitum; quatenus scilicet agentia naturalia, alterando & corrumendo species sacramentales, tales dispositiones in ipsarum educunt, quæ connaturaliter petunt productionem talis compositi, ipsarumque Deum ad ejus productionem, & conversionem quantitatis panis in ipsum, determinant. Ita Hispanensis quædam notabilis 4. & quidam recentiores Thomistæ in manuscriptis. Pro resolutione difficultatis.

Dico breviter: Ex speciebus sacramentalibus potest naturaliter generari aliquid compositum substantiale. Ita D. Thomas hic art. 5. ubi sic dicitur: *Cum corruptio panis fit generatio alterius, ut dicitur in 1. de generatione, videtur quod ex speciebus sacramentalibus aliquid generetur, cum corrumpantur; non enim sic corrumpuntur, ut omnino differant quasi in nihilum redeant, sed manifeste aliquid sensibile eis succedit. Quæ ratio D. Thomæ fundatur in experientia: videmus enim ex speciebus panis consecratis generari vermes ex humiditate, vel cineres ex illarum combustionem, aut acetum ex corruptione specierum vini.*

Nec valet quod dicebant Auctores illi, quod ibidem S. Doctor primò refert, nimirum quod illa non generantur ex speciebus sacramentalibus, sed ex aëre circumstante. Hunc enim dicendi modum idem Doctor Angelicus ibidem triplici ratione convellit. Primò, quia generatio consequitur alterationem: nulla autem alteratio debet necessarîo præcessisse in aëre circumstante. Secundò, quia ex aëre non solent talia, per vermes, cineres, aut acetum, generari. Tertiò, quia licet non circumstet aër, sed species redigantur in corporibus solidis, ut auro, argento & c. similis accidit generatio: Ergo non fit ex aëre, sed ex speciebus.

Non obstat etiam si dicatur cum aliis generatio novius illius compositi fieri ex substantia panis aut vini quæ redeat. Nam cum substantia